



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 83. Caput XIII. De Præsentationibus Ordinario faciendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

§. LXXXIII.

CAPUT XIII.

De Præsentationibus Ordinario faciendis.

„ Non liceat præterea patrono, cujus-
„ vis privilegii prætextu, aliquem
„ ad beneficia sui juris patronatus, nisi
„ Episcopo loci Ordinario, ad quem
„ provisio, seu institutio ipsius beneficii,
„ cessante privilegio, jure pertineret,
„ quoquo modo præsentare: alias præ-
„ sentatio, ac institutio forsan secutæ
„ nullæ sint & esse intelligantur.

Ex hoc Capite infertur, quod nul-
lus ex illis, qui vel a Papæ Nuntio,
vel alio quocunque ad aliquod benefi-
cium fuere electi, nominati, aut præ-
sentati, institui, confirmari, aut reci-
pi sub cujuscumque privilegii obtentu
valeat, nisi prius ab Ordinario loci sit
rite examinatus, atque idoneus ad tale
Officium repertus, quin ulli exceptis
iis, qui ab Universitatibus sunt præsen-
tati, ad declinandum ejusmodi examen
appellatio suffragetur. Quinimo, et si
præter Episcopum aliis, ut puta Abba-
tibus, vel Prioribus, institutio compe-
tat, nihilominus semper Episcopis in-
stituendos examinandi auctoritas tri-
buatur, atque ipse singulos a Patronis
præsentatos, si minus idoneos repere-
rit,

rit, reiicere valeat. Eapropter Fun- Sæcul. XVI.
 dadores, seu Patroni illos, quos ad ob- A.C. 1551.
 tinendum beneficium vacans selegerunt, Ordinario præsentant, & Patronis Lai-
 cis ad præsentandum quatuor conce-
 duntur menses, illisque integrum est,
 ut suam mutare valeant sententiam, at-
 que alium nominare possint, si primum
 minus idoneum experti fuerint. Ex
 aduerso Patronis Ecclesiasticis semestre
 quidem conceditur, mutandi tamen li-
 bertas denegatur; elapso enim seme-
 stris tempore, si præsentati minus digni
 reputantur, nominandi jus pro hac vi-
 ce a Patronis ad Superiorem devolvi-
 tur. Ceterum soli Ecclesiastici, non
 autem Patroni Laici a Papa præveniri
 possunt, ipsaque, ut vocant, præsentatio
 coram Scriba per publicum instru-
 mentum rata habenda est. (*)

§. LXXXIV.

C A P U T XIV.

*De articulis in proxima Sessione agi-
 tandis.*

„De-

(*) Hæc nullatenus priscis S. Conciliis,
 atque Universalis Ecclesiæ usui, & discipli-
 næ consona esse censeat benevolus Lector,
 minus vero Oecumenicæ, ac legitimæ cjujus-
 dam Synodi decreta, atque auctoritatem ab
 unius particularis Ecclesiæ acceptance, vel
 repugnantia dependere existimet.